



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

7. Semipelagianorum, à Pelagianis in re præsentis discrimen, & error
propalatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

possibile, et si reliquæ absolutæ possibiles non sint: quoniam ea ratio est: quod omnes causæ essentialiter requiruntur ad effectum debent esse in statu proportionato ad illum, in quovis horum statuum apponendum; nec satis est alteram solum ex illis in statu proportionato ad eum effectum statum apponendum: actualis autem absolutæ existentie effectus illius visionis, nunc, & de presenti est in causis status actualis, & absolutæ existentie, nunc, & de presenti: status verò possibilitatis effectus ab illis, est possibilitatis absolutæ.

9. Hoc autem statuto principio notissimo sic rationem efformo: implicat esse pro illo statu effectum, nisi à suis omnibus causis essentialiter requisitis ad illum statum constitutis in statu proportionato ad illum statum effectus apponendum: atqui voluntas, & indifferens cogitatio sunt principia essentialia consensus vitalis contingentis, & liberi aequè, atque est essentialia principium Dei decretum: ergo implicat esse consensus vitalem contingentem, & liberum pro aliquo statu, quin voluntas, & vocatio, seu cogitatio cum indifferencia, nec solum Dei decretum, sine in statu proportionato ad apponendum consensus vitalem, contingentem, & liberum in eo statu. Tum sic: vel status proportionatus earum causarum essentialium ad apponendum statum futuritionis conditionatæ consensus vitalis, & liberi debet esse status absolutæ existentie earum, vel satis est eas in hypothetici & pro conditione apponi: si dicas primum: ergo nequit apponi futuritio conditionatæ vitalis, & liberi consensus à Decreto Dei actuali, & absolute posito solum, nisi voluntas, & vocatio absolute etiam sint. Patet consequentia: quia alias esset in eo statu effectus ille, consensus vitalis, scilicet, & liber ab una solum ex causis essentialibus posita in statu proportionato ad eius status appositionem, reliquis causis essentialibus in illo non positis, sed deficientibus ab eo: contra evidens principium, quod demonstravimus: quod si ne in hoc principium impingas, consequentiam admittas: fiet, ut decretum hoc tuum actuale de futuritione conditionatæ nullam futuritionem conditionatam relinquit, destruatque suum obiectum: cum enim futurum omne conditionatum purificata, & absolute posita conditione transeat in futurum absolutum, si voluntas, & vocatio, seu cogitatio indifferens ponenda actu absolute est, sicut decretum ad status conditionati appositionem, non quidem hic, ab eis, & decreto, sed status absolutæ existentie, & futuritionis necessario apponetur. Si autem dicas postremum: scilicet, satis proportionatum causarum essentialium conditionati consensus vitalis, & liberi esse statum appositionis earum in hypothetici: ergo ita etiam apponi Dei decretum ad eam conditionatam futuritionem satis erit: ac proinde nullo decreto actuali Dei opus habebit, ut apponatur eiusmodi futuritio: Hoc argumento à me, non ita sèni cogitato, iamdiu Thomistas vexabam pertinaces. Quod enim responderi poterat, non eundem statum requiri in omnibus causis essentialibus, ut proportionentur ad eundem statum effectus apponendum dissectum est num. 8. & quod specialiter pro decreto diuino, ut præ aliis concausis essentialibus habere debeat actuale, & absolutum esse ad statum futuritionis conditionatæ apponendum confutatum satis manet n. 7.

10. Arguor unde: quia Deus ut vidimus d. 5. quæst. 3. cognoscit omnia sua decreta conditionare futura, tum, quæ absolute habuit: quia purificata conditio fuit, sub qua ea fore præ priori ad conditionis purificationem novit: tum ea, quæ de facto non habuit, quia de facto purificata, & posita absolute conditio non fuit, ut decretum conferendi gloriam Iudæ, ac reprobis, si cum penitentia, & gratia decederent, vel dandi alicui ampliorem gratiam, quam dedit de facto, si hoc vel illud opus supererogationis, & Consilij exerceret, quod de facto non exercuit. Hæc inquam, & similia reliqua decreta sua Deus vere & infallibiliter prænovit: ergo status ille conditionatæ futuritionis decretorum Dei constituit, ita, ut à Deo cognoscitur, cognosciturque ab æterno fuit, alioqui verè, nedum infallibiliter, à Deo non cognoscetur. Atqui non constituit ut decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti de conditionatæ futuritione eorum, vel alicuius ex illis decretis: ergo ad futuritionem conditionatam contingentis statuendam de-

creto absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus non est. Minor probatur: quia in decreto illo sub conditione futuro non est, vel apparet ratio dependentiæ, & subordinationis alteri decreto anteriori absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti. Secundo: quia, ut decretum hoc ex parte obiecti conditionatum sit, ut potest, futurum etiam ex parte actus conditionatum, opus alio decreto actuali de illius conditionatæ futuritione non est: nam ad huius etiam conditionatam, quæ esse potest, futuritionem alio etiam decreto absolute ex parte actus opus erit, & sic in infinitum progressum anteriorum, & anteriorum decretorum absolutorum ex parte actus, & conditionatorum ex parte obiecti abibitur: quod si status futuritionis conditionatæ diuinorum decretorum, abique decreto illo absolute ex parte actus & conditionato ex parte obiecti constituitur, reliquorum etiam contingentium conditionatorum status abique eiusmodi decreto constituitur: cum nihil pro differentia vnius futuritionis ab alia adduci queat, quod præclusum non sit ex dictis n. 7. & 8.

11. Simile argumentum intrinsecum duodecimo potest, ex veritate, vel falsitate determinati omnium, & singularum propositionum conditionalium independentem à decreto quam d. 7. ostendimus. Neque enim verè determinari esse possent independentem à decreto, si conditionatæ futuritioni à decreto in sui consistentia penderet, ut proximè dicebamus. Ex quibus omnibus plus satis probatum est futuritionem conditionatam contingentem à decreto absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti nullatenus pendere. An verò poni ad ipsam in hypothetici debeat decretum prædeterminativum consensus omnino absolutum, quod ad absolutam contingentis futuritionem iuniores Thomistæ requirunt: vel quodam tandem concurrenti decreto ex parte Dei ad consensus seu contingentis conditionatum ad eam hypothetis adducendum sit: iuxta dicenda contr. 3. definiendum: ubi de decreto diuino concurrenti ad creatas liberas actiones, & actus, ex instituto disputabimus: quidquid enim ex parte voluntatis diuinæ ad absolutam contingentis existentiam apponendam necessarium esse statuerimus ibi, id totum in hypothetici contingentis conditionati poni omnino debere apertissimum est.

CERTAMEN VII.

Semipelagianorum à Pelagianis in re presenti discrimen, & error propalatur.

1. **V**T clarius testimoniis Patrum (præcipue Augustini, & Ascleclarum) quæ contra nos aduersarij inducunt, possunt deinceps inducere, respondeamus horumque in doctrina Augustini, Prosperi, Hilarii & S. Thomæ examinanda incuria ac inde ortæ confusio, & æquiuocatio deregatur: oportet Semipelagianorum errorem, atque à Pelagianis discrimen circa necessitatem gratiæ ad salutem clare, & dilucide proponere, atque explicare: ut constet contingentis conditionatæ futuritionem, eiusque scientiam ante actuale decretum de illa nullatenus à præfatis Patribus reprobari: post illud vero approbari: nullumque in Augustino, Prosperi, Hilario, Fulgentio, aliove Patre, siue merita Semipelagianorum noua impugnantibus, siue ad eorum argumenta respondentibus, eius rei, vel apparet fundamentum reperiri: & sane neque Semipelagianorum hæresis, neque Catholice Patrum doctrina, quæ illos impugnabant, quidquam referebat conditionatæ illorum merita, ac demerita, eorumque scientiam ante, vel post decretum actuale Dei de eorum conditionatæ futuritione in eo statu constitui: quod, ut ostendatur, & quæ hinc inde nullo delectu, nullaque contextus, & forte textus ipsius, lectione ex Augustino, Prosperi, & Hilario Cursus Disceatatus Carmelitani, & Ioan. à S. Th. cuiusque farinæ alij in nos tumultuario coniectant negligantur. Pelagianorum & Semipela-

gignorum errores ad purum explicandi, atque exactissime rationumque distinctio statuenda in primis erit. Atque, ut Pelagianorum errores alios de nuptis, & originali, nunc præteream, totus coram (quod ad rem attinet præsentem,) error fuit nos ad gratiam, & gloriam à Deo ante mundi constitutionem electos fuisse ob merita absolute futura, viribusque naturæ à nobis postea habenda, quibus pie, iuste, & honeste operamur, & perseveremus in iustitia: reprobationem vero à gratia, & gloria de meritis operum pravorum absolute futurorum nostrorum à Deo concipi semper: atque ita electionem divinum Iacobi præ Esau, ac huius reprobationem habitas aiebant, & à Paulo illis verbis assertas, *Antequam quidquam boni egissent, aut mali Iacob dilexerit, Esau vero odio habuit*: id quod aperte constat ex Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. & cap. 12. de prædest. Sanctorum, mulleque aliis, ubi contra Catholicam gratiæ ad bene, iustitque agendum necessitatem asserentes Pelagianos memorat, & impugnat, ipsorum autem hæresim hanc duplixi ex capite ratione Augustinus in primis confutavit. Primo: quia iam gratia non esset gratia, cum meritis pure nullis non gratuita quidem, sed remuneratoria voluntate à Deo daretur, id quod evidentissime concludit, Secundum, ut evidentiarius non sit, erat autem plausibilis ab electione, & reprobatione parvulorum ante vsum rationis decedentium, alterius quidem baptizati, alterius vero in baptizati: in quorum neutro merita, vel demerita absolute, quæ sola merita, vel demerita esse Pelagiani fatebantur (atque ad ultimum electioni, & reprobationi præcedebant) poterant vel apparenter designari: quare argumento hoc ad silentium vique confutatos à se Pelagianos testatur citatis locis & alibi Augustinus, cuius verba dabimus certaminis huius de cursu.

1. Semipelagiani verò in eo cum Pelagianis errant: ut merita ex propriis viribus, & absolute quidem in adultis (in quibus ea poterant designare) ac demerita ad salutem, vel ad mortem, electionemque, vel reprobationem nostram à Deo præcederent. Discrepant verò à Pelagianis: quod merita nostra non ad totam salutem atque gratiam iustificatam perseverantiam, & gloriam absolute Dei, ope, & gratia auxiliante (ut Pelagiani dogmatizarent) admittent: sed solum ad inchoationem salutis per fidem, primæ credendi assuetudinem, cuius ex propriis viribus merito ad ulteriora salutis gratiæ iustificanti perseverantiam, &c. necessaria peragenda, auxilium gratiæ supernaturalis à Deo donaretur. Pro calu verò parvulorum, ut hanc suam doctrinam tuerentur, quam absolute meritis, demeritis non poterant, merita, ac de merita conditionata de suo absque vilo Pelagianorum exemplo commentum sunt. De absolute adultorum meritis à Semipelagianis admittis constat ex Augustino c. 12. de prædest. Sancti, de Semipelagianis dicente: *Tamen quid eis, qui, nisi aliquid assignet, quod priores dant, reprobantur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant* (Pelagiani enim non aliquid, sed omnia sua putabant) laboratur aliquando in aetate maiorum, iam venturum voluntati abstinere: sed ubi veniunt parvulos, &c. Omnia defici præcedentem gratiam Dei humanorum operis meritorum: quia, scilicet, meritum aut demeritum in absolute solum operibus (quæ parvulorum illorum nulla fuisse) esse potest: quod Principium, quia Semipelagiani abiecerunt ad merita, & opera illorum conditionata pro suo errore recurrentes, subdit: *quis enim audiat, quod dicuntur parvuli* (ab his nimirum, qui ad fidem, & gratiam à Deo obtinendam boni naturalis deficiunt, & affectionis absolute in adultis actum requirunt) *pro suis futuris meritis in ipsa infantili aetate naturæ de hoc vita: atque à Prospero. Notum absurditatis genus* (in Semipelagianis) dicitur: *ut non agenda præfata fiat*: quia, scilicet, in adultis merita absolute ad fidem, & gratiam insperandam primitus asserbant. C. insuper eodem Semipelagianorum errorem de meritis nostri omnium adultorum absolute, ad fidem, & gratiam, seu fidem, qua credere incipimus, ac non absolute salutis nostræ negotium ut Pelagiani errantur præter Augustinus, Et ideo apud ipsos Deum nos selegisse præ munis constitutionem: ut iam Sancti, atque immanis gratiæ, atque ope eius essent.

2. Confirmatur: ex Epistola Hilarii ad Augustinum

referentis Semipelagianos se tueri doctrinam Augustini, de fidei merito ad electionem ad gratiam, & spiritus Sancti donationem in quæstionibus ad epistolam ad Roman. ubi ad ea Pauli verba: *Dicit itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* ita inter alia scripsit: *Aequales omnes sunt ante meritum: nec potest in rebus omnino equalibus electio nominari: quoniam Spiritus Sanctus non datur nisi credentibus, &c.* Non ergo elegit Deus opera: cuiusquam in præsentia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præsentia, ut quem crediturum esse præscivit ipsum elegit, cui Spiritum Sanctum daret: quasi Augustinus fidei meritum, ex viribus naturæ, ac non potius à Dei gratia ibi docuisset: ergo ea merita fidei præcedere Dei electionem ad gratiam, & donationem Spiritus Sancti Semipelagiani admittebant ad salutis initium, quæ asserta ibi fuerant ab Augustino: atque ea erant merita, & nostra, ex gratia, tamen, fidei omnino absolute: ergo absolute etiam, licet non ex gratia, asseriebant Semipelagiani. Minor constat ex verbis ipsius Augustini proximis. Secundo: quia de conditionatis illis meritis parvulorum nova & inaudita esse aiebant Prosper, & Hilarius proximè, satis in scriptis & doctrina Augustini versati, & Augustinus supra memoratus aiebat ipsi referens: *inducari quæquam secundum merita quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore: unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestra indicant litteræ, mirans, & stupens reperire non possum. Nec credere audeam, nisi vobis non credere non audeam: Ex quibus constat merita nulla, tam eo loco, quam alibi viqueam ab Augustino asserita, conditionata fuisse, sed omnino absolute, & ex Dei gratia. Imò conditionata hæc merita pro parvulis demum à Semipelagianis cogitata contemptu potius, quam tam longa cum illis disputatione habita recitanda censebat Augustinus tom. 10. de bono perferet. ita locutus. Quamquam, ut dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus, vel mortuis peccata quæ præfata sunt facturi esse, si viverent, etiam resellere pudeat: ne videamur existimasse alicuius esse momenti quam malum disputatione cohibere, quam silentio præterire. Accedit Semipelagianos ipsos teste Hilario citata epistola ad Augustinum ægè tulisse ut parvulorum causa, (in quibus sola ficticia illa sua merita conditionata locum habebant) ad exemplum maiorum referretur: scilicet, quia in his absolute merita propria facilius pro suo errore prætendebant.*

4. Quod ipsum constat ex his Augustini de dono perferet, cap. 11. contra Semipelagianos: *ex ore latentium, & infantium* (inquit) *perfecte Deum sua gratia laudem dum, quod in his videmus, quorum liberationem bonorum merita nulla præcedunt, &c. hoc, & in maioribus fieri, nequaquam omnino cunctamur: non putantes secundum sua merita gratiam cuiquam dari: scilicet, sicut Semipelagiani his contendebant saltem concedendum, in quibus opera absolute facilius designabant, ac merita deinde propria: quare, & eorum causam à causa parvulorum diuidi volebant: Confirmatur rursus: quia ex Augustino 2. de prædestin. Sanct. cap. 2. Semipelagiani volebant fidem autam, seu perfectam esse mercedem fidei capte, absolute scilicet, & cap. 17. Sed hæc, inquit, ut à Deo dentur nobis, fides imperat: quia incipit à nobis cap. 19. Deum nos seligere aiebant: quia credidimus, cap. 21. Exigere Deum initium fidei: quo in Christum primitus credere incipimus, & quod non est donum Dei: ut, cum id præcesserit cetera consequantur: & apud Prosperum epist. ad August. aiunt: *Homines ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur pervenire per naturalem facultatem petendo, querendo, pulsando: ut ideo incipiunt, ideo inveniunt, ideo introeant, quia bona natura bene voluit, ut ad ipsam salutem gratiam initialis gratia* (naturalis, & suæ naturæ) *ope meruerit pervenire: item: fidelem denotum fuisse quia voluit. Rursus: qui Deo sponte crediderit merito credulitatis accipere auxilium gratiæ. Deinceps: Homini libertatem iuvare si, quod Deus mandat elegerit. Demum: cum in his, qui tempus acceperunt libera voluntatis duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet, gratia, & hominis obedientia: prior rem volunt obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui saluatur non ex eo credendum sit stare, qui**

qui saluat: & voluntas hominis diuina gratia sibi pariat opem; non gratia sibi humanam subicit voluntatem: Similiter Hilarius epist. ad Augustin. eorum refert errorem: Homines eo merito, quo voluerunt, & crediderunt à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suae consequi effectum. Et iterum: non negari gratiam, si procedere dicatur talis voluntas salutis.

5. In quibus expressè de fide, voluntate salutis absoluta, adulatorum, qui tempus liberæ voluntatis acceperunt eos loqui manifestum est: atque horum merita propria absoluta designasse, nec solum conditionata; alioqui malè, & ipsi aliam adulatorum, aliam paruulorum causam esse vellent; & Augustinus Prosper, & Hilarius speciatim in paruulis (in quibus nulla absoluta merita, aut demerita fuere) eos vrgerent, nisi in adultis absoluta designarent, nec ad conditionata recurrerent: vti eo argumento pressi in paruulis recurrerent, in quibus absoluta merita propria nulla inueniri poterant, quæ in adultis prætendebant teste Prospero supra his verbis: *cumque innumerabilium illis obicitur multitudo paruulorum, &c.* aut eam obicitur, ni in adultis merita absoluta, ac non conditionata prætendunt: alioqui, si in adultis conditionata prætenderent, nullius ponderis esset, neque cum id obiceretur, tunc id dicerent, sed antea in adultis dixissent. Dixerunt autem tunc in paruulis, vt statim Prosper subdit: *tales autem perdit, talesque saluari, quales futuros in annis maioribus, si ad actiuam seruauerunt aetatem, scientia diuina præuiderit*: accinit Augustinus c. 12. de prædestinat. Sanctorum, vbi ait contra Semipelagianos: *laborari in aetate maiorum. Ast desicere eos omnem assertionem humanorum meritorum cum veniunt ad paruulos: quorum merita conditionata à Semipelagianis) præterita audienda non sunt, & iterum clarius in hanc Sententiam (de meritis conditionatis paruulorum) ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, &c.* vt tamen gratiam Dei secundum merita nostra dari sibi existiment esse credendum: at Nec vacillare illud, quod Deus velit omnes saluos fieri, & ex epistola Hilarij ab illis, dicunt etiam esse præscientia diuina, vbi se responsum illa Augustini ad Paganorum questionem protegebant vt vidimus, in adultis verò hominibus ad propria merita absoluta, quibus inchoaretur eorum salus constanter, vt vidimus recurrerunt.

6. Cuius veritatis præter innumera testimonia hætenus data hæc etiam sunt non minus perspicua: Properi citata epistola, ita eorum errorem iterum referentis: *qui autem credituri sunt arbitrio suo, quique in ea fide, qua deinceps per gratiam ob fidei meritum, iuuanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in regnum suum quos gratis vocatos, (in quibus contradictionem notat Augustinus, quod gratis, & tamen ob merita propria vocentur) dignos futuros electione ac de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit, & Hilarij citata epist. quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute suscepta: hætenus accipiunt: vt quibus datur, inerti licet, præcedenti proprio arbitrio tribuatur: August. item de dono persever. Sed hæc inquiunt, vt à Deo dentur, nobis fides imperat; quæ incipit à nobis, quam fidem, & incipere habere, & in ea usque in finem perseverare, tanquam id non à Domino accipiamus nostrum esse contendunt, millesque aliis locis eum esse Semipelagianorum errorem testatur August. cap. 9. 10. 17. & 19. de Prædest. Sanctor, ac de dono perseverant. cap. 18. 19. 21. & 17. vbi ita contra eum scribit. Hæc itaque dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis (in quibus donis est, & incipere credere, & in fide usque ad vitam huius terminum perseverare, sicut tanta rationum, & auctoritatum contestatione probauimus) hæc inquam dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem hæc est igitur prædestinatio quam defendimus. Hinc factum ait Augustinus ibi, vt præscientia pro prædestinatione, quam essentialiter supponit, quandoque usurpetur iuxta illud. Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit ad quæ ille, quod ait: præsciuit, non recte intelligitur, nisi prædestinavit: vnde cap. 18. & præscientiam, & prædestinationem tantundem valere, atque electionem ante mundi constitutionem, de 14 Paulus, his diserte docet: in hæc ergo electione, &*

in his reliquiis, quæ per electionem gratia salua facta sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus, non repulit, quia præsciuit: hæc est illa electio, quæ eos quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent Sancti, & immaculati, in conspectu eius in charitate prædestinans eos in adoptionem filiorum.

7. Atque hunc errorem Semipelagianorum de meritis propriis absolutis adulatorum ad inchoationem fidei, & salutis improbo hoc labore clare à Deo, & prolixè ostendendum putauimus, vt æquiuocatio adulatorum in locis, quæ nobis ex Augustino opposita hætenus sunt, deincepsque opponeretur, omnibus patefieret. Sed præter errores: hos politius à nobis plus satis hætenus probatos, quorumque exacta notitia non soluendi solum, sed negligendis etiam, adulatorum contra nos ad rem præsentem testimoniis satis foret, ne iterum de eorum errore circa alias nostrorum cum Thomistis controuersias (cum circa gratiæ efficaciam, tum circa prædestinationis cum nostrarum actionum libertate concordiam) præter aliquid opus sit, aduerte Semipelagianos nusquam de futuritione conditionata, cuiusque conditionata scientia, siue ad gratiæ efficaciam, siue ad eius, & prædestinationis cum nostrorum operum libertate concordiam vios fuisse. Neque enim his de rebus usquam cogitant, & licet ad id afferendum satis nobis esset nullum esse in eis, aut errores eorum referentibus eius apud Semipelagianos doctrinæ vestigium oportereque aliquibus testimoniis oppositum ab aduersariis (quos penes tota probandi obligatio est) nobis probari: quod hætenus præstium est, neque in posterum præstabitur: tamen maior abundantia gratia facile, etiam positivè, ex datis Parrum testimoniis probamus: ex eis quippe constat, tam Pelagianos, quam Semipelagianos non efficaciam (in quocumque flet) gratiæ, sed necessitatem gratiæ Dei, ac proinde à Deo gratis donante dependentiam contrariam aduersamque libertati operum nostrorum existimasse, ac proinde nos independentem abusu nostræ libertatis saluari, si Dei gratia, & gratuita per illam nostrorum operum bonorum donatio à Deo, quasi facto, nobis obueniat, nec completa in arbitrio facultas ad bonum si cuti ad malum sit: idcirco Pelagiani, vt vidimus, omnia opera nostra bona ad salutem consequendam virtutis arbitrii nostri solis, atque independentem à Dei gratia, & Deo per illam donante, & arbitrium nostrum iuuantem tribuebant: Semipelagiani vero initium solum salutis per fidem imperfectam, & inchoatam, perfectæque desiderium, ac piam affectionem, cuius merito perfectæ, & aucta fides, & gratia iustificans nobis à Deo daretur, & ob perfectam fidem, in ea, & iustitia perseverantiam voluntatis nostræ facultati naturali independentem à gratia auxiliante, & Dei adiutorio tribuebant: quia, ni aliquid prius omnino ex nobis daretur, ob quod reliqua nobis à Deo in premium donarentur, omnem arbitrii nostri industriam, studium, & libertatem in salutis nostræ negotio excludi putabatur: vt supra Augustinus aiebat, & hoc certe, si falsus, & apertius ostendatur, omnia quæ aduersarij ex Patribus nobis obiciunt, euanescent.

8. Id autem facili negotio præstabitur: ita enim Semipelagiani (vtique ex communi ipsis, & Pelagianis principio, & argumento) aiebant, referente Prospero citata epist. ad August. necessitate gratiæ auxiliantis, & adiutorij Dei ad quodvis bonum opus præuenientis, arbitrii nostri usum, & libertatem, lapsis eorum resurgendi adimere, &c. & prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. Excludam, inquit, quia vultum & indifferenter vult omnes homines saluos fieri eosque predicatione, non autem gratiæ auxilio internæ vocat: ipsi autem arbitrio solo oblatam salutem, vel respuunt, vel arripiunt. Et quantum quisque, (pergit Prosper) ad malum, tantum habeat voluntatis ad bonum: parique momento animum se, vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem Dei gratia foueat, mala vero scilicet damnum iusta suscipiat. Et initia: Priorem obedientiam, quam gratiam, & initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum stare qui saluat voluntatem nominis diuina gratia opem parare: gratiam subicere sibi voluntatem. Atque in his fere Semipelagianorum errorem summam docet Prosper. Si principium salutis malè in homine collocatur: si diuina voluntas

voluntati impie voluntas humana præfertur: ut ideo quis adiuuatur, quia voluit; non ideo, quia adiuuatur vellet: si originaliter malus acceptionem non à summo bono, sed à se inchoare male creditur: si aliunde Deo placeat, nisi ex eo, quod ipse donauerit. Ad horum verò eradicationem nonnulla tractanda (quibus diffensione Pelagianorum, & Semipelagianorum à reliquis, Christianis violari silem, ait.) Augustino proponit. Ex quibus erat. An præscientia imitatur propositio, vel vniuersim, vel saltem in adultis? Alterum: quomodo per istam præscientiam, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium? ut vtrique concordet hæretici impediri censent: [Excludi item aiebant, omnem prædicandi vigorem, & inutilem reddi exhortandi consuetudinem; si aliquid puri arbitrij, quod ea exciteretur, ut per vires eas solas credant, & sanari velint, & medicum querere, ut deinceps augmentum fidei, & effectum totius sanitatis medicina, & curatione gratiæ consequantur.] ut recitat Hilarius ex ipsius epist. ad Augustinum; idcirco Augustinus ipse cap. 12. de prædicatione Sanctor. de Semipelagianis concludit. Nisi aliquid sibi assignent, quod prius dent, ut restituantur eis ab omni studio pietatis repromissi se putant.

9. Secundo: Semipelagiani ita de hac voluntate querendi medicum, ac Pelagiani de tota curatione, vel maiore eius parte philosophabantur: atqui Pelagiani deus putabant arbitrij nostri libertatem, si ad curationem gratiæ præuenientis auxilio opus nobis esset: ergo Semipelagiani deus arbitrij nostri libertatem censent: ex necessitate gratiæ præuenientis ad voluntatem querendi medicum: constans maioris veritas Semipelagianis nomen fecit. Minor est Augustini vbi proximè, & epist. 106. ad Paulinum, & epist. 109. & epist. ad Vitalem dicentis: sublata necessitate gratia non firmari à Pelagianis, ut contendunt, sed destrui, ac per inania ferri arbitrij nostri libertatem, lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum à se propulsa pelagianorum calumniam quod ex necessitate gratiæ nostra bona opera præuenientis, nequeque solium, fari esset assertor, lib. 3. & 4. contra eisdem tres eorum præcipuos errores è nimia horum quinque astimatione ortos censet, nempe creaturæ, & naturæ, ut originale negarent: Sanctorum: ut ab omni culpa, in hac etiam vita, immunes illos crederent; legis, & liberi arbitrij, ut gratiæ opera præuenientis nostra negarent: solumque præcedentia nostra omnino merita adiuuare, & sequi docere, & lib. 4. cap. 2. Pelagianam hac in re hæresim ementi ait: ab eo, qui fateretur captiuam voluntatem non posse, nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem, & cap. 6. ait Pelagianos Catholicæ virtus verbis Hilar: i. si volueritis, & audieritis me bona terra comedite: suauem hæresim contrarios, si ita intelligerent, ut etiam istam bonam voluntatem illum præparare confiterentur de quo scriptum est: preparatur voluntas à Domino: Sed tamen quia alterius ope ad volendum egere, & propria voluntate, & arbitrio nos velle, componere Pelagianis non poterant: idcirco: Si volueritis: propriis viribus, & abique Dei præuenientis auxilio hæretice intelligebant: Catholicum item sine scrupulo, ait esse Augustinus: gratiam Dei bonum cuiusque propositum adiuuare, in hoc meritum Pelagiani ponere, cui gratia tanquam merces retribueretur; sed potius non solum meritum à gratia consequenter adiuuari sed ab illa præueniente antecederet, & necessariò ita adiuuari asserent, ut sine gratiæ præcedentia esse minime poterit; id quod nullatenus Pelagiani admittebant, quia ex necessaria gratiæ Dei præcedentia operis libertatem, & subinde meritum, aboleri putabant, ut in maiori assumebamus.

10. Expressius adhuc minorem eandem nos docuit Hieronymus epist. ad Cresiphontem vbi discipuli nominant hanc Pelagij sententiam scribit: destruitur voluntas, qua alterius ope indiget, & 2. aduersus Pelagianos ita eos loquentes inducit: quomodo seruus liberum arbitrium, qui diu hominem, nihil posse, nisi semper Deus adiuvet? Amobius d. de Deo Titino & vno ad caleem lumen fol. 163. negante ipso, absque Dei auxilio liberum arbitrium effecti sine peccato, laudemque adipisci diuinam. Siquis e Pelagianorum persona, ut nomine disputans Christoph. de Ortega, de Deo vno, Tomus I.

intulit: Ergo non est liberum arbitrium. Non igitur ex speciali auxiliantis gratiæ efficacia, sed ex necessaria eius ad bona nostra opera præfessione eorumque, ut fiant indigentia gratiæ libertatem arbitrij auferri nobis aberrant, ut in minori Syllogismi nostri assumebamus: quia sola præuenientis auxilij necessitate ad opera nostra arbitrij elicienda nullas arbitrio nostro partes relinqui putabant: nihil de eius efficacia cogitantes, vel disputantes intrinseca ne auxilio, vel extrinseca foret, sed negantes solum necessarium esse Dei adiutorium antecedens opus bonum, cum, ut hoc à nobis exerceretur, tum, ut potentia compleretur arbitrij, & potestas voluntatis: cum ergo idem hac in re quod Pelagiani, Semipelagiani fenserint, (ut dicebamus in maiori) consequens est, eos non de gratiæ efficacia aberrasse, imò ne disputasse quidem; sed de eius necessitate, seu necessaria præueniente in voluntate nostra, ut bonum opus exerceret, atque absolute posset; eamque solummodo negasse, ut in eo eliciendo arbitrij libertatem, & potestatem tuerentur.

11. Atque cum fuisse vnicum Semipelagianorum errorem contra gratiæ præuenientis nostra bona opera necessitatem: non autem contra efficaciam gratiæ ipsius modum, præter discursum factum satis firmum, ex eorum expresso, & formali errore patet: ita enim cum refert Augustini de dono perseverant. cap. 17. ut ex necessitate gratiæ præuenientis ad piam affectionem, & inchoatam fidem inutilis ab eis dicatur prædicatio: quia fides Dei donum esset ratione auxilij præuenientis, siue in eius collocactione à Deo datum, id quod ex speciali modo efficacia auxilij nullatenus penderet. Hæc dicentes nolunt (inquit) hominibus prædicari dona Dei esse, ut veniant ad fidem, & permanent in fide, quia nimirum à Deo hæc dari, & à nobis liberè ea progredi nullatenus componebant: illos vero ad hominem conuincit Augustinus, & Dei dona esse posse, & liberè à nobis fieri; nec studium, & industriam nostram in eis excludi, nec reddi de illis prædicationem, & exhortationes inutiles, ut voluntates nostras ad ea sollicitentur, sique etiam affectu moueantur. Siquidem Semipelagiani ipsi continentiam, & alia plura Dei dona ratione gratiæ præuenientis esse admittebant; & tamen viles de illis prædicationes, & exhortationes fitebantur, ut ad ea deliberatè exercenda moueremur, & c. 19. ait: auctoritates Cypriani, Ambrosij & Nazian. Sufficere ad utrumque (à Semipelag. negatum) ut gratiam Dei gratuitam, (sicut credenda prædicandaque est) per omnia prædicent, & eorum prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripiamus malos, non opinentur aduersari.

12. Patrum verò loca ibi ab Augustino memorata sic habebant: Cyprianus in nullo gloriantur; quando noxium nihil est. Ambrosius non est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes. Nazian. qui dedit credere dabit & consistere. Et tamen subdit Augustinus: hi ipsi Patres, qui ita nos Catholicè docuerunt, à prædicatione, & exhortatione ad hæc ipsa opera nullatenus desistere, sed insistere enixe: si autem non ex sola necessitate præuenientis, seu antecessionis auxilij gratiæ, sed ex efficacia antecederet ad vsum libertatis nostræ insuperabili ipsi intrinseca, vel è Dei decreto efficaci de se extrinsecus adueniente inutilem prædicationem, & exhortationem ad ea opera bona Semipelagiani docerent, præfata testimonia Patrum non sufficerent, ut Semipelagiani de errore inutilitatis prædicationis, & exhortationis ad eiusmodi opera conuincerentur, ut sufficere Augustinus aiebat. Pater aperte siquidem hodie ex Catholicis Doctoribus non pauciores, sed plures eis testimoniis Catholice admissis, negant eiusmodi efficaciam auxilij, ante vsum libertatis antecedere: vel eo in primis, quod arbitrij nostri indifferens ad utrumvis potestas, & subinde operum libertas pessum iret, & quod (huic proximum est) inutilis prædicatio, & exhortatio omnis ad illa exercenda redderetur; & tamen nemo ex Thomistis Doctores istos de vilitate prædicationis, & exhortationis supposita antecederet gratiæ præuenientis efficacia, siue intrinseca, siue extrinseca à Dei decreto, ex recitatis Patrum locis couincit, imò neque ex illis conuincere hætenus tentauit. De sola ergo necessitate præuenientis, & antecessionis auxilij Dei ad opera bona, & honesta; non autem de antecessione efficaciam inuitabilis antecederet ab arbitrio

arbitrio nostro eiusdem auxilij Semipelagiani eis testimoniis sufficienter de utilitate praedicationis, & exhortationis ad operationem praeventientis auxilij à Deo nobis donata convincendi, & convinci (Augustino teste) loquebatur.

13. Illud Ambrosij inibi ab Augustino recitati addendum, qui quaerenti, cur sit unusquisque Christianus? respondendum quippe recte ait: *visum est mihi quod, cum dicitur non negat Deo visum. A Deo enim preparatur voluntas hominum*: quibus utrumque facile componi aiebat Augustinus. Si autem preparatio voluntatis humanae à Deo per auxilium antecederet profus ad liberum voluntatis visum efficax, vel ab intrinseco sui, vel à decreto foret; non ita facile componeretur utrumque: & eius necessaria praecedentia, & voluntatis nostrae libertas, ratione cuius bene responderet quilibet *visum est mihi, et si respondere posset visum est Deo*: siquidem ex tot retrò annis Dominiciani Thomistae virtuosae compositionem, vel apparentem, veroque similem ea difficultate continuo à nostris vexati, inuenire minime poterunt: Componi vero facile utrumque ex eo Ambrosij loco aiebat recte Augustinus contra Pelagianorum, & Semipelagianorum argumentum, & difficultatem, qui non ex antecedenti visum libertatis nostrae auxilij efficacia sed ex auxilij diuini necessaria praeventione, & antecedentia, ut bene operemur, & possimus operari, siue ex necessitate sola auxilij nostrae bona opera praeventientis, nulla efficacia ratione habita, euerit voluntatis, & arbitrij nostri libertatem putabant.

14. Quocirca audiendus insuper August. libris de praedestinat. sanctorum, & dono perseverantiae. Semipelagianorum errorem confutandum proponens, eiusque confutationem concludens capite enim 1. lib. 1. de praedestinat. Sanctior initio illum ex Prospero, & Hilario esse ait: gratiam Dei dari secundum merita, nostra omnino fidei inchoantis, & perseverantis, quam nullatenus antecederet; cuius primam partem confutandam cap. 2. suscipit, & proponit his verbis: *Primum itaque fidem, qua Christiani sumus donum Dei esse debemus ostendere*: sub libri vero finem à se ad fastidium usque praestitum ait: *quia plura, quibus id saepe alias probauerat, solum probare fors alicui videretur: donum Dei esse incrementum fidei; initium verò fidei, quo in Christum creditur ab homine ipso esse, nec esse donum Dei, &c. Propter quod (inquit) insitimus, quantum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus: quod etsi diutius fecimus, quam vellent hi propter quos fecimus, &c. fateantur nos fecisse quod fecimus, id est etiam, initium fidei, sicut continentiam, &c. (de quibus cum his nulla contentio est) donum Dei esse docuisse. Secundo verò libro de praedestinatione Sanctorum, (qui est de dono perseverantiae) alteram Semipelagianorum erroris partem de fidei perseverantia absque Dei auxilio confutandam ita eius initio proponit: *Iam de perseverantia disputandum. Nam & in primo libro, cum ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Afferimus ergo donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo*: Concludit librum, quid plura? satis me docuisse existimo (vel potius plusquam satis) dona Dei esse incipere in Domino credere, & usque in finem in Domino perseverare: cetera verò bona ad vitam piam, qua Deus rectè colitur perseverantia etiam ipsi (Semipelagiani) propter quos haec agimus, dona Dei esse concedunt: sicut ergo cetera praedicanda sunt, ut qui ea praedicant obedienter audiantur, Semipelagianis ipsis fatentibus: ita praedestinatio praedicanda est, ut qui obedienter audit, non in homine ac per hoc non in seipso, sed in Domino glorietur. Statim verò, ut praedestinationis, & gratiae Dei necessitatem praedicent Catholicos hortatur: peccaturque Deum, ut ad eam credendam Semipelagianis gratiam largiatur.*

15. In ea ergo praedestinationis, & gratiae Dei praeventientis nos ad quodvis bonum opus, etiam fidei initium, & perseverantiam necessitate denegata errant ex ampliori Pelagianorum errore Semipelagiani, non autem in denegando in illis certo aliquo efficaciae antecedentis omnem libertatis visum modo. Alioqui nusquam eos confutasset totis illis libris, atque aliis saepe Augustinus, qui nullibi eiusmodi difficultati responderet: imò neque ex ipsis retulerit, ut complanaret. Adde ex Augustino illa c. 17. lib. 2. de praedest. Sanctorum, seu dono perseverant.

Videant qualem sit, quod sibi persuaserunt praedestinationis praeventientis desiderationis plus, quam exhortationis afferri: & cap. 18. Neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare posse: Ait disputare contra omnino antecedentem visum libertatis nostrae efficaciam praedestinationis, & auxilij gratiae Dei, eamque negare error nullatenus, sed Catholica profus doctrina, imò facilius, & Catholicis communior est decretis Pontificis positum in contradictorio iudicio probata, ut fatentur aduersarii, etiam Ioannes à S. Tho. 1. p. d. 20. pag. 636, & 644. & disceat. Curs. Carmel. non ergo in eo errant Pelagiani, & Semipelagiani, quod cum efficacia modum negarent, sed quod necessitatem praedestinationis, & auxilij praeventientis nostrae bona opera respuerent. Ad hanc necessitatem praedestinationis, & gratiae auxiliantis ad pia opera (pro qua August. Hilar. Prosper & alij contra Pelagianos, & Semipelag. pugnant) ea est, ex cuius denegatione inferitur, utramque ex propriis meritis nostris, & operibus naturalibus nostrae facultatis à Deo nos obtinere, ut illi errabant, atque ex negato praedestinationi, & auxilianti gratiae eo efficacia modo praedestinationem, & gratiam ex meritis propriis, & naturae facultate habitis nos à Deo obtinere, nullquam inferitur, ut patet: sed solum ex negata necessitate praedestinationis, & gratiae auxiliantis nostra pia opera praeventientis: ergo in hac neganda, non autem in illo modo efficaciae denegando, Pelagiani, & Semipelagiani aberrant, ac pro illa solum Catholicae contra ipsos adstruenda praefati Patres certant. Minor ut dixi patet, neque ab aduersariis negatur. Consecutio est legitima.

16. Maior & ex datis locis constans, & ex sequentibus cap. 16. de dono perseverantiae, siue lib. 2. de praedestinat. Sanctorum. Aut sic praedestinatio praedicanda est, quemadmodum Sancta Scriptura evidenter loquitur: ut in praedestinat. sine penitentia sint dona, & vocatio Dei, aut gratiam Dei secundum nostra dari merita confutandum, quod sapiunt Pelagiani, cap. 17. cur ad ipsa cetera exhortationem eorum, ceterorumque praedicationem definitionem praedestinationis non metunt, impediri? Ac forte nec ipsa dicuntur praedestinata: ergo nec dantur à Deo, aut ea de daturum esse nesciunt quod si, & ea dantur, & ea se daturum praesciunt profecto praedestinavit, infra, videntur impediri potius, atque subverti hac praedestinationis definitione illum tantummodo errorem, quo dicitur gratia Dei secundum merita nostra dari, ut qui gloriantur non in Domino gloriatur: c. 20. ait praedestinationem ex scriptura probasse, ut error de donatione gratiae ex meritis excluderetur cap. 21. Si autem utrumque (fides, eiusque perseverantia) Dei donum est, & hoc Deus dona sua (quod negare quis potest) daturum se esse praesciunt praedestinatio praedicanda est, ut possit vera Dei gratia (hoc est qua non secundum merita nostra dari) inseparabili munitione defendi cap. 24. & illud (Iesum in nostrum caput) & nos praedestinavit: quia in illo, ut esset caput nostrum, & in nobis, ut eius corpus essemus, non praesura merita nostra, sed opera sua futura praesciunt. Prosper citata epist. ad Augustin. Sed resurgunt istud fateri, (necessariam operum à praedestinatione, & gratia praeventionem) diuinoque adscribere operi merita Sanctorum formidant: ne superflua sit industria, & laboris inditio, cuius studium cessante electione frustrandum sit: quia nimirum absque ea non esset in voluntate plena, atque absoluta operandi potestas, quam sufficienti auxilio, quod abique electione, & praedestinatione fieri voluntate ignorabant, non quia de se, & ante omnem libertatis visum eorum efficaciam in aduersantium Patrum doctrina refulerent: etiam si, & id Augustino ex responsi eius verbis, & occasione perspectis imponere tentarent, & sati promitte assertorem proclamare: quam calamitatem, ut vidimus, à se ille propulsavit, antecedentem praedestinationis, & gratiae praeventientis necessitatem à sua doctrina reiectans.

17. Restat Augustini alius pro re eadem monstranda locus ex lib. cod. c. 33. sub finem, qui argumentum aliud nobis suppeditat, qua bona (inquit ille) si Ecclesia semper oravit semper ea Dei dona utrique (ac non ex meritis propriis) recognovit: nec ab illo semper cognita vagantur.

18. Ex hoc igitur hæc non explorata Semipelagianorum gratæ contraconciliationem prædeterminationis & auxilioris gratæ nostra bona opera præcipientis, ex qua arbitrio nostri liberatèr perperam auferri iudicantur, constat eos nunquam scientia nostra media, & auxilij à nobis illata efficaciam à consensu nostro conditionato pro concessa illius cum liberatè concordia visse fuisse. Primum: quia eorum vi præcipuum erroris sui fundamentum (in subdite error ipse) fubretur: nempe, quod ex necessaria præveniente operum nostrorum à prædeterminatione, & gratia eorum aboleretur libertas, quæ Scientiæ mediæ vi, & constitutione efficacis auxilij præstata facit, & vice componitur: & quidem absque via erroris, vt vidimus, nota eorum dogmati à Patribus corrupta. Secundo: quia illi in parulis ante rationis vium conceptis, altero saluato per baptismum, altero damnato abque illo (in quibus nulla operum libertas compendenda erat) Scientia media pro factis meritis ad suum errorem inueniendus vii vel abusi potius fuit: & in electione visus nationis præ alia ad Euangelij prædicationem, & scilicet, atque aliud ad id reprobandum: cum tamen eorum opera æqualia ex Dei gratia, & prædeterminatione in eorum doctrina non essent; sed ex natæ viribus: quareneque ex scientia media directæ, vt eorum libertas cum prædeterminationis, & gratiæ efficaciam, & infallibilitatem competeretur. Tunc enim ex Scientia media aliqd prædeterminatur, cum id ipsam, quod fore sub conditione præsumit est ex præscientia absolute fore prædeterminatur. Demum in adultis, in quibus componenda libertati cum infallibilitate prædeterminationis & efficacitæ gratiæ, & locus Scientiæ mediæ nostræ, & constitutionis efficacis eius à conditionata operis futuritione esse potest, nusquam Semipelagianis, & Scientiæ, & efficacitæ constitutione sunt videri error indubitatum, & scientia media, & conditionata operum futuritione ad

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

19. Claret autem inde: quum malè curfus Carmelitanus Difcalceatus fupponat Sempeliagianos ad concordiam efficacit prædilatationis, & gratiæ cum noſtroꝝ operum libertate conditionatæ operum futurationis & ſcientiæ (non fecus atque nos) fuiſſe vios: atque eorum verba (vbi vius eius ſcientiæ Sempeliagiani meminerunt) nullo delectu in nos contortant, eique fuſo poſſito ingentem, mirabilium diſcurſuum contra nos machinam imponent; vbiorem, ſcilicet, Theologi oblectamentis, quam ſerix diſputationis legetem; ſed præcipue in re perique etiam Thomiſæ peccantur. Sed præcipue Ioannes à S. Thom. 1. p. quæſtionẽ 14. artic. 3. à pag. 636. vbi ſolito retum, & verborum lubrico, & implexione multis excurſibus, & Proſperi teſtimoniis idem ſuadere contendit, & teſtimonia quia (præterquam quod de abſoluta præſcientiâ, vti pluriſimum, & futuratione ſunt) in eorum nullo (imo nec in aliquo quod è Sempeliagianis afferri poteſt) id iplum, quod prædilatationum dicitur, eſt quod dicitur etiam præſcium: cum tamen ad noſtrum ſcientiæ mediâ viſum, id iplum quod præſcium conditionatè eſt, debeat eſſe ex ea ſcientiâ prædilataturum.

Aduersariorum fundamenta eruuntur.

1. **O**pponent aduerfarij loca Auguftini plura, quibus bonos nolius actus & Dei mifericordis voluntate, & praeordinatione (quam idem, atque efficacem Dei voluntatem praeferunt), & praedeterminantem noſtros actus, vt ij ſint, atque a nobis eliciantur eſſe uolunt, abſolute eſſe docet: imo, & malos etiam actus noſtros a Deo non ſolum permittente, ſed & decernente praeficiente, ac praedeterminante illos, quibuſdam alijs locis doceri ab Auguſtino contenditur: ceterum licet loſis primis nomine mifericordis Dei uoluntatis, & praedeterminationis non praefinitio, aut uoluntas efficaci Dei praedeterminatiua illorum, vt abſolute ſint, atque a uoluntate abſolute apponatur, ſed uoluntatem ſolum dandi media de ſe indifferentia, quae tamen prauidit in nobis bonos actus obſcure ſi darentur, intelligit Auguſtinus: ſecundus uero nihil omnino, niſi uoluntatem permiſſiuam praeuati actionum aſerit, vt in ſequentibus euincemus, ubi de media materialibus cognitionis futurorum abſolute contingentium, ſed de neceſſarijs principijs, & cauſis ex parte Dei ad abſolute contingentium futuritionem diſputabimus. Permittamus modo eas omnes Dei uoluntates praefinitiuas actionum noſtrarum, tam bonarum quam prauarum, vt abſolute ſint futurae, ab Auguſtino requiri: neque eas actionum noſtrarum libertati obſte, neque uoluntas prauarum actionum noſtrarum Dei honeſtati, & bonitati repugnare, vt obſtaret implicatorie, & uolunt, & doceret; negamus tamen inde inferri ex Auguſtini doctrina, imo neque eſſe ſani alicuius hominis mentem, requirendas eſſe ad futuritionem conditionatam earundem noſtrarum actionum abſolutas ex parte actus de ea futuritione conditionata uoluntates Dei efficaces, ac praefinitiuas: cum ex neceſſitate deſerri efficacijs actualis Dei ad actualium exiſtentiam, & abſolutum eſſe effectus creati non inferatur cuius neceſſitas ad eſſe conditionatum effectus, quod abſolute nec eſt, nec erit, ſed ſolum ſuſpenſe, ſiue eſſet, ſi condicio purificaretur.